Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1587

Quelle:
Copyright:

compactata communicantes paruulos et vulgariter cantantes et diuina tractantes. Item ritus ecclesie Katholice non seruat, osculum pacis, consecrationes aque, candelarum, cinerum, palmarum, mulieres post partum non introducit. Item defensor est librorum Wiclef hereſiarche. Item tenet remanentiam panis post consecrationem eukaristie, quod probatur ei primo, quia frequenter interrogatus a Legatis sacri concilii per magistros et plures, nunquam voluit fateri fidem Katholicam. 2do quia dicit, se esse filium Jacobelli, qui tenet remanentiam utriusque, qui hoc tenendum discipulis suis pro testamento reliquit. 3io probatur, quia non existens officialis archiepiscopi dedit Kathedram heretico anglico (Payne) *et eum protexit contra magistrum Przibram. Item promisit obedientiam concilio et pontifici romano et prelatis et non tenet; sed est clericus acephalus, non habens caput. Item dubitatur, si est presbyter, primo sic: conradus archiepiscopus iam fuit excommunicatus. 2do coactus ordines celebrauit. 3io, quia fuit cecus, alii legerunt et unxerunt manu sua. 4o missam per se non celebrauit, sed alii, quod est contra sacros ordines. Item est traditor Sigismundi principis Polonie, quem pragenses cum magna sollempnitate susceperunt pro gubernatore regni Bohemie, et ipse postmodum ordinauit, quod turpiter est ductus de Praga, tamquam latro et ultimate submersus est. Item scripsit se dominum archiepiscopum, ubi nulla fuit electio, sed monstrosa, quia laici eum elegerunt, quod est contra canones. Item ecclesias non tantum fecit rumpere, sed etiam spoliare, sicut fecit in pede montis in ecclesia B. Marie virginis, ubi recepit monstrantiam argenteam et rupit et argentum vendidit. Item sacerdotes compellebat ad bellum ire cum corpore Christi, et qui nolebant, ipsos incarcerauit et hoc fecit sacerdotibus de sancto Michaele, quos ad carceres posuit in domo circa nigram aquilam. Item exercuit officium seculare quolibet anno, locando nouos consules contra statuta patrum. Item reuelauit consulibus in pretorio confessionem, propterea confitentes puniebantur a Consulibus.*

IX. *fol.* 173. Pentas *Epistolarum* in negotio disputationis *Joh. Capistrani* et *Joh. Rokyczanae*, quarum I. *Capistrani* ad *Georgium de Podiebrad* Gubernatorem Regni *Bohemiae* data *ex Bruna XX. die mensis septembris anno* (MCCCC) LI°. qua petit, ut ejus opera negotium istud pacate tranſigatur. Excitat eam *Cochlaeus Hist. Hussit.* L. X. p. 375. sed vix ultra dimidium progreditur. Codex integram non sine lectionis varietate servat. II. *Joh. Rokyczanae* ad *Joh. Capistranum* data *ex Liticz in die sancte ludmille patrone Bohemie Anno &c. LI°.* Initium: *Optans ante omnia tuam proximorumque tuorum salutem honorem atque bonam famam — Expectans expectaui responsum*